



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Convulsio Calvniarvm Vlrichi Veleni Minhoniensis,  
quib[us] Petru[m] nunq[uam] Romæ fuisse caullatur**

**Fisher, John**

**Antvverpiae, 1522**

Responsio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35690**

rat, qui tunc esaderant, & cooperatores eius erāt in regno dei, hoc est ecclesia Christi. Quid ergo Petrus, nunqd rāq̄ veteranus quidā ac emeritus miles, in ocium tunc se receperat, vt nō pro sua virili euangelicas adiuuaret partes, cooperatorq̄ in regno Christi non fieret? Quum igitur hoc animus horret de Petro sentire, palam est eum tunc Romæ nequaquā fuisse,

### RESPONSIO.

**S**Inō fuissent plures in regno dei cooperarij, q̄ quos hic enumerauit Paulus, vbi quæso Iacobus tum fuerat, vbi Ioannes euangelista, vbi Barnabas ac cæteri Apostolici quorū plaricq̄, nemo dubitat, quin iam extarent, nulla tyrānorū adhuc crudelitate necati. Sed inquis. Hi nequaquā Romæ fuerunt. Quid si Romæ non fuerant? laborabant nihilominus in regno dei. Neq̄ negabis opinor quin alibi quā Romæ, dei regnū vigeat. Sed de his (inquis) paulus intelligit, qui Romæ laborabant. At neq̄ de oibus his intellexisse Paulum, vel ex argutia tua proxima constare potest, qua testaris dixisse Paulū, q̄ sua occasione passim Romæ prædicatum ab omnibus fuit Euangeliū Christi. Hoc tu affirmas scripsisse Paulum ad Philippenses. Q̄n igitur eodem tempore scripta fuerat hæc ad Colossenses epistola, qui fieri potuit, vt paulo tum Romæ non essent plures ad regnum dei cooperarij q̄ hi tres, nimirum Aristarchus, & Marcus atq̄ Iesus, quum idem (vt tu recens) asserat euangeliū, Romæ passim ab oibus, occasione sua iam fuisse prædicatū? Num hoc est passim ab oibus prædicari, quū a tribus dūtaxat euangelium prædicatur? Erras igitur Paulum haud recte capiens. Neq̄ enim istantū dixit, hi soli cooperarij sunt ad regnum dei, sed adiecit qui fuere mihi solatio. Vt intelligas hos præcæteris (qui ad dei regnū paulo cooperabantur) eidem fuisse maiori solatio. Et more suo fortassis hiperbolice locutus est, volens ita peculiarius eos Colossensibus commendare. Non prorsus itaq̄ negat Paulus, alios fuisse libi ad

Philip, i,

Allucinatur  
Velenus,

dei regnum cooperarios, sed ex nullis alijs (qui cooperarij  
essent) sibi tantum solacij fuisse suppeditatum. Nam erant  
adhuc, cum alij pleriq; tum Narcissus Romæ. Erant &  
Andronicus, & Iunias, Priscillaq; & Aquila, quos, e Corin-  
tho Romam scribens, adiutores suos vocauit, ac salutauit  
amantissime. Nihil igitur agit hac argutia Velenus, aduer-  
sus præsentiam Petri Romæ, quum fieri potuit, vt esset Ro-  
mæ Petrus, & vel in alia custodia multū distante positus, vel  
tot tantisq; fidei negocijs occupat⁹, vt assidere Pauli vicul⁹ &  
ei solatium assiduum impendere non licuerit. Possumus  
tamen vel ex ea deprehendere Petrum tunc fuisse Romæ, Colof, iiii,  
q; Paulus in eadem Epistola, Marci consobrini Barnabæ me-  
tionem faciat, quem & Petrus charissimum habuit, & in i, Petri vlti,  
epistola sua priori vocat filium, quemq; passim historici tra-  
dunt Romæ cum Petro fuisse, & euangelium, quod Marci  
iam dicitur, ibidem scripsisse. Neq; alius iste Marcus est ab Marcus euāge-  
eo, quem Velenus dicit a Paulo vocari in epistola ad Phi- liū Romæ scrip-  
lemonem, Marcum Aristarchum, de quo mox plura sumus sit,  
dicturi.

#### PERSVASIO VNDECIMA.

Onesimus, quem Phrygem genere quidam fuisse pu-  
tant, Philemonis Colosseij seruus, compilatis rebus qui-  
busdam ipsius Romam fugitiuus venerat, illicq; Paulo  
de Christo concionante audito, Christi nominis factus  
est candidatus, ac baptisate in Christicolarum consor-  
tium ascitus. Porro ne quid labis pristinae scelestæ vitæ in  
eo remanserit, conscientiam Apostolo aperuit, & iniuri-  
am, quam domino suo intulit, rebus quibusdam illius sur-  
reptis confessus est, quem Paulus, quia nimium adama-  
rat, non sibi temperare potuit, quin protinus benigno,  
ac scito epistolio eum Philemoni reconciliaffet, hanc sibi  
iniuriam in Philemonē bene meritis donari postulās.